

suam speciem Iacob quam ^{e)} *dilexit* ¹⁾; privatim vero quia in qualibet domo Dei sepe quivis corporalem sequens exercitationem preteritur et is, qui se exercet ad pietatem ²⁾, copiosius ^{d)} ornatur gratia spiritus sancti, quam Rebecca in illo facto significavit, dividente singulis prout vult ³⁾).

- 5 Nimirum talium vestium sive ornamentorum non extrema portio est pastoralis cura et sapientię doctrina ^{e)}. Hinc apostolus ⁴⁾: *Et ipse dedit quidem quosdam apostolos, quosdam autem prophetas* ^{f)}, *alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi*. Quisquis
10 ergo nullam habens rationabilem causam semel susceptam parvipendens tanquam rem inutilem abicit pastorem curam propter cuiuslibet adversitatis seu difficultatis impietatem, hic profecto non longe dissimilis est illi Esau, qui propter gulę impatientiam proiecit primogenita sua et *en morior* inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* ⁵⁾ Propterea
15 quicunque sit ille, valde inordinatus est, ut postea, cum stultitiam suam recognoverit, rursum in statum pristinum resurgere et honorem recipere contendat, nec omnino in hac re est audiendus secundum subsequens exemplum eiusdem Esau, cuius memor apostolus *scitote enim* inquit, *quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est*.
20 *Non enim invenit penitentię locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eum* ⁶⁾. Verumtamen quamvis dicat: *non invenit penitentię locum*, non est desperandum cuilibet talium de salute, licet desperare cogatur de honoris recuperatione.

- 17 Confortatus itaque redii velut qui melius iam intelligerem consilium sapientię dicentis: *Si spiritus potestatem habens* ^{a)} *ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* ⁷⁾. At ille spiritus potestatem habens nimirum a Domino, qui potestatem dedit, ut tentaret sanctum Iob (cuius memini in exordio) ⁸⁾, quę videlicet potestas est iusta, voluntas autem eius semper iniusta, numquid ascendere desiit? Immo pertinaciter ascendit, ita
30 ut parum videretur valere nobis quod cessatum erat ab edificatione supradictę munitionis ⁹⁾, quia nostrorum quidam amicorum abusi temporis oportunitate — sciebant enim offensionem sublimioris, cui anima nostra secundum Deum subdita esse debuit ¹⁰⁾, — licentiam acceperant nobis ignorantibus

^{e)} quem *AM* ^{d)} copiosus *M* ^{e)} doctrinae (*A, korr.*) *M* ^{f)} prophetos *AM*

17 ^{a)} habentis *Vulg.*

¹⁾ *Ps. 46, 2 und 5* ²⁾ *Vgl. 1. Tim. 4, 7—8* ³⁾ *1. Cor. 12, 11* ⁴⁾ *Ephes. 4, 11—12* ⁵⁾ *Gen. 25, 32* ⁶⁾ *Hebr. 12, 17* ⁷⁾ *Eccle. 10, 4* ⁸⁾ *c. 1* ⁹⁾ *c. 14; zum Folgenden s. o. S. 423 ff.* ¹⁰⁾ *Vgl. Rom. 13, 1; s. o. S. 417.*